DE

Febris intermittentis indole.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Carolus Josephus Gieffers
GUESTPHALUS.

Opponentibus:
A. DISSE, med. et chir. Dr.
H. RIELAENDER, med. et chir. Dr.
L. SCHWING, ICto.

BEROLINI,
Typis Fratrum Schlesinger.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO.

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Ab antiquissimis inde temporibus ad nostrum aevum clarissimi eruditissimique viri non solum maxime varias, sed etiam controversas opiniones de hujus febris indole protulerunt. Galenus enim et medici proximi aevi febris intermittentis indolem in humoribus, quos, quod fierent sedes abnormium mutationum temperaturae, producere febrim credebant, posuerunt. Typus autem ipse certis succis addicitur: unde febris intermittens quotidiana ex pituita, tertiana ex flavo, quartana ex nigro felle oriri fertur. Willis 1) proximam febris intermittentis causam fermentationem sanguinis esse putat; Boerhaavius 2) eam in viscoso sanguine, cum quadam causa conjuncto, quae cele-

1) Willis de febribus Cap. III.
2) Boerhaave Aphor. 755.

riorem vel vehementiorem cordis ictum efficiat, de **Graaf** 1) in pancreate, **Sylvius** in succi pancreatici fervore, collocant. **Senac** 2) hanc febrem ex obstructione jecoris profluere dicit; **Sydenhamus** autem 3) eam esse despumationem noxiarum substantiarum de sanguine, quae ei admixtae sint et paroxysmis non omnino effundantur, sed particulatim remaneant, mox sese augeant, et recentes paroxysmos excitent, praeclare explicat. **Nicolai** 4) in succorum stagnatione in parvis vasis: **Torti** 5) in quodam sanguini admixto febris fermento; **S. G. Vogel** 6) in quadam materia morbosa, quae post unumquemque paroxysmum partim in succorum circuitu remaneat et paulo post magnam materiae copiam coacervet, quae novum paroxysmum efficere possit, veram febris intermittentis indolem cerni contendunt. Magna pars medicorum hujus febris naturam in pathologico statu singularum partium organismi, ut **Reil** in vasis sanguiferis; **Marcus** 7) in inflammatione systematis lymphatici; **Walch** in inflammatione glandularum viscerumque abdominis; **Broussais** ejusque sectatores in phlegmasia cujusdam partis, praecipue ventriculi et intesti-

---

1) Traité de la nature et de l'usage du suc pancreatique 1666.

2) Senac, de recondita febrium intermittentium tum remit'. etc. cap. III Amst. 1759.

3) Sydenham, opera omn. med. Tom I. sect. I. cap. 5 p. 46.

4) Nicolai. Abhandl. von dem kalten Fieber Copenhag. 1758.

5) Torti. therapeutices specialis libr. I. cap. VI. Francof. et Lips. 1756.

6) S. G. Vogel, Handbuch Bd. I cap. 2. §. 21.

7) Marc. Entwurf einer speciell. Therap. Nürnberg 1807.

orum, positam censuerunt. Kremers 1) in irritatione edullae spinalis, Hoffmann 2) in nervorum systemate bris indolem quaerit eamque totius nervorum fibrarumque ystematis spasmodicam affectionem habet; Cullen spasum ipsum; Selle 3) anomaliam nervorum esse judicant. an Hoven supposuit novum miasma febrile, quod exserat im in nervos. Van Swieten 4) sedem, etsi de hac re ccuratius non disserit, in nervorum systemate collocat: Iufeland 5) propriam, quae periodice cum vasis communicetur, nervorum irritationem esse docuit; ab Hildenrand 6) explicat febrem intermittentem neurosin systematis eproductivi; Sprengel 7) indolem in suppressa conductione consumtioneque principii imponderabilis splanchnicii ystematis. Schönlein 8) febrem intermittentem primam eurosium somaticarum familiam habet. Burserius autem, Petr. Frank, Jos. Frank omnibus ab hypothesibus e indole febris intermittentis abstinuerunt.

Cap. I.

PHAENOMENOLOGIA.

Paroxysmum febris, quae secundum normam decurrit, ptime in quatuor stadia dividimus.

---

1) Beobachtungen u. Untersuchungen über's Wechselfieber. Achen u. Leipzig 1837.

2) Hoffmann diss. de vera motuum febrilium indole et sede.

3) Selle pyretologia Berol. 1773.

4) Van Swieten commentarii in Boerh. aphorism. 757.

5) Hufeland System der praktisch. Heilkunde. Bd. II.

6) Hildenbrand institutiones practico-medicae §. 242.

7) Sprengel institut. med. Tom VII. §. 38.

8) Schönlein Vorles. Bd. 4. S. 5.

I. Stadium prodromorum. Non semper quidem prodromi animadvertuntur, quippe qui apud multos aegrotos deficiant; in plurimis tamen, praecipue sporadicis, rarius in endemicis epidemicisque febribus sese ostendunt, fereque omnium febrium cum prodromis congruunt. Hi prodromi eo certius febrem antecedere solent, quo magis corpus praedispositione et causis ad febrem pronum fertur. Aegrotus enim certis temporibus magnum languorem, inertiam, gravitatem, lassitudinem sentit et saepe in statum paresi similem incidit, accusat dolores artuum, tensionem, convulsiones, pandiculationes et oscitationes, gemit, labores fastidit, queritur dolorem cavi pectoris, morosus fit, est anxius, anorexia petitur, lingua obtecta, nausea, saepe vomitu. Vicissitudo frigoris calorisque, saepe intercurrens horripilatio observantur, nasi apex manus atque pedes frigent, digitorum ungues livescunt. Multi etiam de cephalalgiis, vertigine atque capitis gravitate queruntur. Hoc stadium horae dimidium vel quadrantem explet.

II. Stadium frigoris. Frigus, quod ad gradum et tempus spectat, perquam differt. Aegrotus pallet, epidermis corrugatur et tam eminentias quam foveas exhibet, unde cutis anserina oritur, facies pallet ac senescit, labia nec non digitorum ungues, oculorum anguli, nasi apex colore pallido aut coerulescente suffunduntur, et Senac vidit aegrotam, cui totus nasus caeruleus reddebatur ut ipse annotat libr. I. cap. VI., imo vidi mulierem, cui in febrili frigore nasus carulelo suffunderetur colore. Corporis volumen ita minuitur, ut annuli, armillae, monilia et vestimenta, quae arcte corpus circumdant, laxiora fiant, et ex-

remitates frigescant. Algor e regione ultimarum lumbarum vertebrarum orsus per vertebrarum calumnam occiput adscendens ad humeros et transit in pectus et extremitates superiores, in coxas, extremitates inferiores et sensim per totum corpus diffunditur. Artus tremunt et totum corpus convellitur. Tremor crescit ad vehementissimas musculorum contractiones, dentium oritur crepitus, qui non raro franguntur. Frigus in rigorem transit; saepe nonnullae partes tantum, ut extremitates, eo corripiuntur ac ne ardentissimus quidem calor sensum frigoris depellere potest. Sensus multis quidem aegrotis integri manent et animi facultates parum hebescunt. Respiratio brevis, frequens, stertorosa, anxia; pulsus parvus, frequens, celer, interdum intermittens: sitis ardens, saepe nulla potione exstinguitur, interdum nulla sitis invenitur. Aegrotus cibum perhorrescit, nausea afficitur et non raro vomitu; urina aquae similis apparet. Hoc frigus modo dimidiam, modo quartam horae partem, modo plures horas tenet.

III. Stadium caloris. Sensim frigus minuitur, per vices sentit aegrotus frigus ac calorem, donec illud evanescit. Tunc totum corpus calore petitur, et quo majus frigus, eo major calor oriri solet. Facies rubescit, recipit turgorem vitalem, corporis volumen amplificatur, cutis mollis fit, sed adhuc aret. Respiratio tardior, placidior, nondum autem normalis. Pulsus turgidus, plenus, frequens, fortis, sitis persistit. Affectiones gastricae augentur, arent os et lingua, et angor et vomitus sese ostendunt. Minimo aëris afflatu aegrotus horret, laborat fere continuis cephalalgiis et vertigine, non raro leviori delirio corripitur. Clara lux, acutus sonus, vehemens odor, ei afferunt mo-

lestias; urina rubra, sed parca. Quo stadio sex vel decem horas protracto accedit quartum, s.

IV. Stadium criticum. Calor sensim minuitur, cephalalgiae ac delirium evanescunt, respiratio fit normalis, pulsus placidus atque mollis, sitis minuitur, lingua humescit, angor vomitusque desinunt et aegrotus in altum plerumque somnum incidit. Expergefactus somnoque recreatus nullam febrilem affectionem sentit, sed languor et irritatus plenusque pulsus morbum latentem indicant. Una cum sudore proveniunt saepe pruriens urticaria et vesiculae circa nasum et os, quae postea crustis teguntur. Hic sudor criticus acidum habet odorem: urina copiosa, turbida est, plerumque sedimentum lateritium deponit. Hic sudor duas vel tres horas perdurat,

Quibus omnibus peractis, intrat apyrexia atque aegrotus instar sani sese habet, restitantibus tamen nonnullis morbi symptomatibus: minuta est ciborum appetentia, sapor amarus, aeger aëris impatiens facile friget, et quovis motu celeriore sudat; pallida aut subflava est facies, morositas atque languor et dedolatio artuum.

Cap. II.

Postquam symptomata secundum normam decurrentia in his quatuor stadiis enumeravimus, ea explicare, i. e. ostendere conabor, quibus ex morbosis organismi functionibus originem ducant.

ad I. Sicut omnis morbus, ita febris intermittens est deflexio vitae a norma, quippe cui abnormes functiones

ocientur. Febris intermittentis indoles, ad quam infra ibo, abnormes functiones in singulis totius corporis oris provocat, quae in nervorum systemate se manifes-: ut turbationes sub specie languoris, inertiae, gravita- angoris, morositatis; in systemate reproductivo: ut thiam, nauseam, vomitum: in fibris systematis ner-um motoriis: gemitum, tensionem artuum, pandicu-onem, in systemate gangliorum: turbationes thermopoë-s, quod caloris horripilationisque vicissitudo testatur.

ad II. Quibus exiguis manifestationibus praegressis, rilis materia fit intensior, et speciem spasmi induit. spasmum tantum systematis nervosi morbosa functio erri potest in stadio secundo. Nam ex pathologia constat, mmam esse efficaciam systematis tam nervosi universi, am gangliosi in evolutionem et emanationem caloris. Si smus igitur in centro systematis nervosi impedit, quo-nus haec materia in partes periphericas penetret, illum goris sensum oriri, necesse est. Si vero in principio asmus tantam vim, ut omnes functiones systematis ner-rum depellat normales, non habet, si igitur hae pera-ntur et calorem effundunt in partes periphericas, illa rripilationis calorisque vicissitudo oritur. Hoc spasmo sa capillaria contrahuntur, ergo sanguis, quominus in ripheria circumeat, prohibetur, quare in intimo arganismo cervatur, unde pallida facies etc. etc. Materiam febri- habere sedem in nervorum systemate abdominali, algor, incipit a prima vertebra lumborum et ultima dorsi inde- e per ceteras partes vagatur, demonstrat. Tremor atque tuum crepitus sublata communicatione inter externas ernasque partes oritur, quum spasmo partibus periphe-

ricis illud eripiatur, quod earum normam efficit, caloricu nervorum aeque ac sanguis, quare illae privantur potent atque vi, inter partes centrales et periphericas aequilibriu servandi. Quod aliae partes frigidae sunt, aliae calida pendet a spasmo, qui in singularibus locis nervorum syst matis obtinet sedem, et ex eodem spasmo abnormitate respirationis, pulsus atque sitis originem ducunt. Sin ver haec symptomata statum spasmodicum non satis perspicuu in hoc stadio reddant, oculos ad aquae similem urina convertamus, quae in omnibus spasmodicis affectionibu eandem speciem offert.

ad III. Vita in discrimine tam diu versatur, donec spas mus evanescit, sin minus, sequitur mors, nam teste expe rientia plurimi homines in stadio frigoris moriuntur. Finit spasmo, singula organa systemataque, quae turbata erant suam efficaciam recuperant et celeriter amissum aequilibriu restituere student, systema nervorum caloris nervorumqu materiam, eamque largiorem diffundit ad peripheriam, unde volumen majus, turgor cutis, congestio turbatio que sensuum. Pulsus fit plenus, mollis, normalis; sitis minus vehemens, quamvis gastricae affectiones perdurent, propterea quod non aeque celeriter sedari possunt. Quod urinae parum hoc in stadio redditur, pendet a vehementiore turbatione, cum ad normalem urinae excretionem modica efficacia tam nervorum quam vasorum systematis requiratur. Cum spasmus secundi stadii multas turbationes structurae et organorum procreaverit, organismus colatoria in auxilium vocare coactus est, ut turbationes largiore excretione depellat et aequilibrium inter internas externasque partes restituat: inde per totum corpus diffusus sudor mucidi odoris,

renibus frequentior excretio turbidae lacteaeque urinae, ae urina lateritium sedimentum deponit, circa os atque sum vesiculae.

Phaenomena, quae in apyrexia observamus, magis mi-sve vehementia, ex eo originem petunt, quod, quum ma-ria non satis vehemens sit, ut novum paroxysmum ex-et, summo labore augmentum capere studet.

Cap. III.

Nonnullae febris intermittentis species.

Secundum normam decurrentis febris intermittentis aenomenis expositis, symptomata quoque praeter normam currentis breviter describamus, quippe in qua non sem-r illa quatuor, quae supra memoravimus, stadia inve-antur. Deficit enim saepe stadium aut frigoris aut su-ris et in quarto saepissime calor excipitur frigore. Tum bres larvatae sunt nominandae, quae multis turbationi-is, nempe: epilepsia, mania, hemicrania, odontalgia, car-algia, vomitu, insigniuntur; deest his omnibus quidem ecies apertarum intermittentium, sed periodismo atque inae effectu salutari cognoscuntur. Febres intermittentes alignae sunt eae, quas apoplexia, syncope, tetanus, spas-us, convulsiones, coma, haemorrhagiae, sequuntur et quae n raro mortem praepropere adducunt. Quibus ex turba-nibus diversissima nomina petuntur: febris intermittens matosa, apoplectica, syncopalis, tetanica, convulsiva, hae-orrhagica, emetica, asodes, dysenterica, pneumonica etc.

Cap. IV.

Typus febris intermittentis.

Maxime characteristicum febris intermittentis sy ptoma est typus i. e. ordo, secundum quem certis tempor spatiis morbosa phaenomena redeunt.

Hujus typi species sunt plures: febris intermitte quotidiana, quae singulis diebus, tertiana, quae altern diebus, quartana, quae quaternis diebus paroxysmum r ducit; imo febrem quintanam, sextanam, septenam, octona cet. observatam esse dicunt. Porro quod ad typum perh bentur: febris tertiana duplicata, et duplex, tertiana triple quartana triplex, triplicata, febris quartana duplex et du plicata, quae fere omnes, ut mihi videtur, soli theoriae or tum debent.

Cap. V.

Typi causa.

Quum supra singulas typi species apposuerimus, restat ut quaeramus: quae sit causa typi? Undique in universa rerum natura videmus vitam, vivunt et minima et maxima individua, sed vario modo, siquidem hoc magis indifferens, illud differens apparet: vitae etiam alacritatem non semper efficaciae factisque singulorum individuorum respondere videmus. Quo altior est vis vitalis, quo majores et diversiores effectus producere potest, eo diversior certis temporibus est vicissitudo. Experientia docet, non solum plantarum germinationem atque incrementum quibusdam anni

ebus temporibusque foveri, sed etiam multos morbos rtis temporibus sanari posse, exempl. gr. helminthiasin. ui periodismus probe a nervorum morbis deduci potest. epilepsia, catalepsia, chorea St. Viti, hypochondria, mnambulismo, typum intermittentem videmus. Causa typi ne dubio in diversis singulorum individuorum functionibus in mutuo eorum commercio posita est et in vita ipsa. am functionibus et vis aliqua et materia vitalis consumir, quae restituenda est, ut vita florere possit, et unum mper organum, vel organorum systema, cum recentes nctiones extensivas intensivasque procreaverit instaurari bet. Hoc tantum modo typus intermittens explicari test. Nervorum systema est summus flos totius organitionis et maximas, diversissimas maximeque varias funcones in lucem profert; quare aliquamdiu quiescere debet. conferimus haec eum typo intermittentis febris, facile rspici potest, cum ex febris indole oriri: nam paroxysmis ulta vis atque materia consumitur, quae apyrexia redingratur; in hoc etiam causa est, quod multos per anos aegroti hac febre laborent sine magno vitae discriine: Reil 1) memorat aegrotum, qui quadraginta annos octo febre intermittente detineretur.

Cap. VI.

Febris intermittentis causa.

Praedispositio omnibus inest, qui jam hac febre et

1) Reil, Fieberlehre, Bd. II. S. 149.

difficili digestione laborabant, aut laborant. Saepe omn homines sine exceptione, saepe valida tantum individu praecipue autem nervosae constitutionis corpora corripiuntu

Ad causas occasionales numerantur humilis terrae s tus, paludes, stagna, madidus nebulosus, frigidusque aë praecipue vere et autumno, unde febres intermittentes Brittannia, Hollandia, in regionibus Rhenanis inferioribus Italia superiore endemicae observantur. Saepe acced febris intermittens velut epidemia, cujus materia in aër est ponenda, quae cadit in solum fecundum. Praetere enumerari debent venti frigidi, frigida potio aestuant corpore, abusus casei, putrescentium piscium; deind animi motus vehementiores, ira, stomachatio, tristitia; con tinui et graves labores tam animi, quam corporis, lucu brationes; excessus in venere, amenorrhoea, haemorrhoide suppressae. Multae harum causarum occasionalium febre summatim provocant, quare dispositione quadam ad febren intermittentem opus esse videtur.

Cap. VII.

Febris intermittentis analogia cum aliis febribus et morbis.

Quod febris intermittentis analogiam attinet, ex perio dismo et typo intermittente, quos in multis aliis morbis invenimus, haec apparent. Observamus enim in epilepsia eclampsia, mania, melancholia, hypochondria, hysteria, ca talepsi, chorea St. Viti, prosopalgia, typum intermittentem et morbi, quos modo nominavimus, cum febre intimum saepe

ntagonismum alunt, ita ut secundum experientiam febris ntermittens epilepsiae maniaeque vice fungatur; nec raro ost febrem intermittentem epilepsia, catalepsis maniaque riuntur et tum epilepsia atque mania, quae omnibus reediis repugnabant, febre sanantur.

Cap. VIII.

Morbi febris secundarii sunt; languor totius corporis, achectica facies, physconiae splenis jecorisque, hydrops nasarca et ascites, dyspepsia, morbus arcuatus, haemorhoides, nervorum morbi, hypochondria atque hysteria. Quorum morborum causa infra in capite XI. accuratius xplicabitur.

Cap. IX.

Sectiones cadaverum.

In cadaveribus nullum constans et in plurimis nullum bnormitatis vestigium in organis singularibus, aut in aliuo systemate observatur, in multis autem magna vasa ordis aut pulmonum sanguine referta, hepar et splen e quam amplificata, tecta abscessibus, indurata, suppuantia, intestina et aëre et felle impleta apparent. Ex bservationibus Cleghornii, qui cadavera hominum fere ucentorum mortuorum secuit, intelligimus, hanc vel

illam partem nigro colore fuisse suffusam, aut corruptam; vesiculam felleam plenam et turgidam atque in ventriculo visceribusque magnam felleae materiae copiam collectam; splenem putridum interdum quatuor aut sex ponderum libras aequasse. Kremers et Maillot 1) medullae spinalis membranas affectas observabant.

Cap. X.

De remediis, quibus febris intermittens curatur.

Advertamus animum ad remedia, quibus secundum experientiam febre intermittente laborantes sanari solent; quorum perscrutatio ad veram febris indolem eruendam magni ponderis est, propterea quod ex vi atque facultate remediorum de febris indole certius concludere licet. Remedia vero sunt innumera, quare, ut melius rem perspiciamus, quasdam classes constituamus. Priusquam vero has classes enumeremus, non distincte eas segregari posse, adnotemus. Proinde de distincta classificatione disserere nequimus, nam unumquodque remedium, ex propriis substantiis constans, et proprio modo organismum afficiens, classem per se format. Classes sunt:

I. Remedia, quae partim aethereum oleum, partim principium amarum continent: flores chamomillae, radix

1) Maillot, traité des fièvres ou irritations cerebro spinal. intermitt. Paris 1836.

alami aromatici, radix caryophyllatae, cortex cascarillae, ortex aurantiorum, cortex angusturae, radix columbo, herba t summitates absinthii, herba centaurei minoris, herba carui benedicti, herba trifolii fibrini, radix taraxaci, radix entianae, lingnum quassiae. Quorum pars praecipue in ystema nervosum, major pars in ganglia abdominis ita m suam exserit, ut anomalia organorum digestionis ad ormam redeat et melior fortiorque digestio adducatur; ars praecipue solvit, placat abdominis organa, ut jecur lenem, pancreas, resolvit indurationes humoresque in his ganis stagnantes.

II. Remedia tonico-adstringentia: ferrum sulphuricum, rrum hydrocyanicum, cuprum sulphuricum, alumen, cortex inae, quercus, hippocastani, sorbi aucupariae, pruni spisae, lignum mahagoni, glandes quercus, lichen parietinus. aec omnia evehunt tonum fibrarum et alterant abdominis nglia, motum etenim perversum iis adimunt, vim atque ergiam reddunt.

III. Volatilia: vinum et spiritus vini, aetheres, caseum, ol. anim. Dippelii, phosphorus, petroleum, terebinth., ae omnia partim irritant, partim alienantem efficaciam in rvorum systema exhibent, augent vitam et reducunt anolias ad normam.

IV. Acria: piper nigrum et album, piper hispanicum, lix zingiberis, galangae, pyreth., flores et radix arnicae, nina sinapeos nigrae. Haec remedia etiam irritant vaum nervorumque systema, maxima pars vero vim suam erit in digestionis organa, quorum torporem tollit.

V. Resolventia, alterantia: ammonium muriaticum, carbon., K. tartar., aqua Selterana, Wildungensis,

Fachingensis, Amesensis, aqua calcis, clysmata Kaempfiana, herba chelidonii. Horum vis limitatur abdominis organis, resolvunt ibi indurationes, expediunt sanguinis circuitum in vena portarum, in jecore et alterantem vim exhibent in nervos.

VI. Narcotica et antispasmodica: opium, radix belladonnae, herba hyoscyami, amygdalae amarae, nux vomica, faba Ignatii, tart. emeticus refracta dosi, magist. bismuthi. Quae omnia nervosi systematis anomalias ad normam reducunt.

VII. Epithemata et vomitoria, sinapismi, frictiones totius corporis, balnea aromatica, quae praecipue alterant.

VIII. Albumen et gelatina, quae organismo substantias nutrientes advehunt, facile assimilantur, supplent amissas substantias et roborant organismum.

IX. Chininum, salicinum, piperinum, praecipue vim exserunt in ganglia abdominis.

X. Remedia psychica: certa fiducia, paroxysmum non esse rediturum, moderatio cupiditatum singularium; agentia physica: electricitas, galvanismus, magnetismus; remedia sympathetica, quae secundum Most 1) sexcenties saluberrima aegrotis cujusque ordinis fuisse dicuntur. Hic auctor duas enarrat historias (l. c. S. 428), quarum veritatem ipse testatur, de curatione per litteras facta.

1) Most Encyclopaedie der gesammten medic. u. chir. Praxis Bb. I. S. 428.

Cap. XI.

Postquam febris intermittentis phaenomena, species, typum, causam, analogiam cum aliis morbis, visa reperta et remedia contemplati sumus, hoc ratiocinium inde deduci posse, credimus.

I. Febris intermittens est morbus systematis nervosi:

a. Quia hac febre soli homines corripiuntur secundum Schönlein 1), qui observavit nervorum morbos hominum esse proprios iisque similem inter animalia morbum non existere;

b. quia in paroxysmo perspicua symptomata spasmodica offeruntur;

c. In febribus intermittentibus larvatis: in epilepsia, mania, hemicrania, gastralgia, odontalgia et in febribus intermittentibus malignis: in febre intermittente syncopali, tetanica, convulsiva, cardialgica, nervorum systema praecipue est affectum;

d. Periodismus nervorum morbis proprius est;

e. Nervorum systema saepissime mutat nervorum morbos et febris intermittens saepe in epilepsiam, maniam, hysteriam etc. transit, quae omnes febre intermittente radicitus sanantur.

f. Morbi etiam, qui post febrem restant, ad nervorum systema spectant, ut convulsiones, hypochondria cet.

g. Sectio cadaverum, imo in exquisitis atque pertinacissimis febribus nullum saepe mutationis organicae vestigium offert.

---

1) Schönlein l. c. Bb. 4. S. 9.

h. Multae febres intermittentes decernuntur sine ulla crisi materiali 1).

i. Non raro febres intermittentes imbecillis nervosisque individuis superveniunt 2).

k. Multae febrem intermittentem procreantes causae, praecipue animi motus, vim suam exserunt in nervorum systema.

l. Paroxysmi semper interdiu erumpunt, id quod praecipue nostram sententiam probat, nam omnes nervorum morbi paroxysmos habent diurnos, quod interdiu illorum functio maxime est exaltata.

m. Plurima remedia, quae contra hanc febrem sunt laudata, nervinis adnumerantur. Si febris intermittens radices non ageret in nervorum systema, illa remedia, quae supra (Cap. X. nro. 10) nominavimus, opitulari non possent. Quodsi enim esset humorum corruptio, inflammatio, irritatio, hypertrophia 3) splenis, possetne tam brevi tempore corrupta humorum mixtio mutari, inflammatio irritatioque removeri et secundum Piorry splen enormis ad volumen normale redigi? Hoc notitiae nostrae, quam de nutritione, de materiarum vicissitudine, de inflammationis indole, de irritatione hypertrophiaque obtinuimus, repugnat. Hic mihi locus esse videtur symptoma memorandi, quod Kremers l. c. affert, quod phaenomenon haud solum in stadio

---

1) P. A. Piorry Diagnostik u. Semiotik übersetzt vom Dr. G. Krupp. Leipzig u. Cassel 1837, S. 214.

2) Baumgärtners Hdb. der sp. Krankheits- und Heilungslehre. Band 1. S. 89.

3) Kremers l. cit. S. 77.

rodromorum, sed etiam in paroxysmo existere fertur. Dicit nim auctor „algorem a prima vertebra dorsi, saepe (in ravioribus aegrotis) a tertia vel quarta incipere, a dorso pectus transire, si digito primas locum, et inde pervagari orpus.“ Qua ex re ratiocinatur: „febrem intermittentem sse morbum canalis medullae spinalis.“ Ille dorsi algor ihi, observatis multis febribus, bis se ostendit, primum in bre intermittente tertiana in secunda dorsi vertebra, deinde secunda et prima vertebra, qui algor dorsi etiam adhiita pressione per aliquot dies perdurabat, dum aegrotus ene se habebat et nullus paroxysmus sequebatur. Kreers tum semper recidivas observavit. Apud alios aegrotos illo in stadio hujus doloris vestigium apparebat. Ne ero rejiciam illius observationes, rem hoc modo exponere ntabo: Febris intermittens sub diversissimis speciebus pparet, velut odontalgia, gastralgia, cephalalgia, quidni oud nonnullos algor dorsi esse potest? Nihil vero st, quod dicam, febrem constare in irritatione spinali. Eo, uod Kremers cum mulierem annos septuaginta duos natam ecareta l. c. S. 100, febre intermittente mortum, duram maem et arachnoideam circa ultimam dorsi vertebram rubram circa secundam sanguine refertam reperit, ejus opinio illo modo confirmatur: nam ipse dicit, illam mortuam sse in stadio frigoris, sanguis autem, ut supra vidimus, oc in stadio ex partibus periphericis compellitur ad interas: tum inter omnes constat, apud senes systema veosum praevalere, porro unus aegrotus nihil probat. Illi es casus, quos Maillot citat, quibus membrana medullae oinalis erat injecta, non refutant innumeros alios, ubi hil inveniebatur. Ut hic dorsi dolor tollatur, Kremers

solo chinino sulphurico utitur, quo brevi tempore evanescere traditur. Num revera evanesceret, si esset irritatio spinalis?

II. Febris intermittentis indoles constat in alienatione, id est deviatione a statu normali gangliorum abdominalium praecipue ganglii coeliaci, quod reliqua simul in morbum rapit.

a. Nimia sensibilatas, horripilatio, algor, tensio, in regione ultimae dorsi vertebrae et primae lumbaris, ut affirmat Dr. Kr., qui febre intermittente quartana laborat, dicens in unoquoque paroxysmo sese sentire, omnia symptomata morbi ordiri ex ganglio coeliaco et tum ad alia ganglia et medullae spinalis nervos transire.

b. Omnes causae, quae provocant febrem intermittentem, damna afferunt digestionis organis. Nam cum gangliorum systmea iis provideat organis, sub quorum imperio digestio uormalem viam sequitur, et cum omnes affectiones nervorum systemate concipiantur et transferantur, has causas primum gangliorum systema afficere et sic digestionem corrumpere, constat. Huc spectant aër frigidus, humidus, nebulosus, paludosae regiones, animi motus, cibis obrutus ventriculus.

c. Multa remedia, quae febri medentur, pertinent ad amara, adstringentia, tonica, volatilia, resolventia, praecipue vero ad alterantia et secundum experientiam vim exserunt in ganglia abdominis. Nihilo minus plura adhibenda sunt, quia in unoquoque aegroto febris propriam speciem ostendit, quod ex ipso individuo pendet.

d. Febris intermittens partim graviores, partim leviores gastricas affectiones, apathiam, linguam obtectam, sa-

orem amarum, nauseam, subflavum faciei colorem, enormes ecretiones affert.

e. In febre intermittente saepe vesiculae circa os riuntur, quae teste experientia affectiones gastricas coitantur.

f. Febris praecipue iis supervenit, qui vitiis organicis bdominis, magno jecore, splene, pancreate, lentore circulaonis in vena portarum laborant. In omnia haec organa angliorum systema vim suam exserit; est efficacia enornis, qua turbationes eorum oriuntur. Si longum per temus depravata actione gangliorum detrimentum illa organa eperunt, in iis ipsis morbi oriuntur, qui rursus inimice etunt ganglia. Tali organicae mutationi abdominis orgaorum, quae iterum vim suam in ganglia exserit, praecipue nethodus solvens et alterans optimum conciliat exitum.

Piorry 1) effectum alienationis in gangliorum abdominalium systemate, hypertrophiam splenis, pro causa proxima abet, quod vero ob ea, quae supra diximus, falsum videur. Analogiam inter morbos nonnullos, ut splenis inflamnationem, ictus splenis regioni illatos, hypertrophiam, et ebris intermittentis horripilationes, algorem, periodismum, ullus alius auctor annotat.

Num quid ad explicandam febris intermittentis indolem contulerim, an argumenta, quae descripsi, ad hanc rem sufficiant, benevoli lectores dirimant. Sine dubio argumentum obscurum manet et res exacte perspici non potest. Atque verum est hodie, quod V. ab Hildenbrand

1) Piorry l. citat. S. 204.

de febre intermittente dicit: „ne tamen quis credat, eam nobis inesse temerariam vanitatem, ut prolatis circa nosogeniam causam proximam ideis, omnis scrutationis dubium solutum arbitremur.

VITA.

atus sum ego Carolus Josephus Gieffers, fidei
holicae addictus, Graffelnae, villae quondam regiae
estphalorum, anno hujus saeculi decimo quarto, patre
atio, matre Clara, de gente Wessel. Primis lit-
arum elementis in patria domo imbutus Padibornam me
tuli et, tribus annis elapsis, adii Gymnasium Theodo-
num, quod ibi Direct. Cel. Gundolf I. floret et per
tem annos studiis humanioribus operam navavi. Tes-
onio maturitatis instructus, anno MDCCCXXXV. Halam
xonum petii. Apud Decanum spectabilem facultatis me-
ae Ill. Krukenberg, nomen professus a Prorectore
gnif. Eiselen civium academicorum numero adscriptus
. Per tria semestria hisce interfui scholis: Ill. Ger-

mar de mineralogia, Beat. Nitzsch de zoologia, Ce Kaemtz de physice, Cel. Gerlach de logice, Ce d'Alton de anatomia, de arte cadavera rite secandi, d physiologia et de anatomia comparata, Ill. de Schlech tendal de botanice, Schweigger-Seidel de chemia Cel. Hinrichs de psychologia, Ill. Krukenberg d pathologia generali. Hala relicta, Bonnam me contuli, ub ab Ill. Wutzer, Rect. t. temp. Magnif., inter cives aca demicos receptus per tria semestria has frequentavi prae lectiones. Ill. Wutzer de chirurgia, anatomia chirur gica et de arte fascias imponendi, Cel. Albers de materi medica, de pathologia speciali et de morbis syphiliticis, Il Nasse de therapia speciali et de anthropologia, Ill. Kilia de arte obstetricia et de ossibus fractis et luxatis. Exercita tionibus clinicis interfui, medicis Ill. Nasse, chirurgici Ill. Wutzer, obstetriciis Ill. Kilian. Autumn MDCCCXXXVIII Berolinum adii, atque ab Ill. Mueller Rect. t. t. magnifico inter cives academicos receptus, apud Il Schulz, Decanum spectabilem gratiosi mediciorum ordini nomen professus sum. Per annum scholis interfui: Ill. Wa geiner de medicina forensi, Ill. Juengken de oculoru morbis. Clinicas exercitationes frequentavi medicas viroru Cel. Wolf, Cel. Truestedt, chirurgicas Ill. Rust, Ce

effenbach, Ill. de Graefe, ophthalmiatricas Ill. engken.

Quibus omnibus viris summopere de me meritis maxias, quas possum, gratias habeo semperque habebo.

Praeterea, ut legibus reipublicae satisfaciam, munere irurgi militaris duce Exp. Hartmann in cohorte praeria equitum hastatorum voluntarius fungor.

Jam vero tentaminibus tam philosophico, quam medico, c non examine rigoroso superatis, spero fore, ut, dissertione et thesibus palam defensis, summi in medicina et irurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Non licet medico, quemque morbum sanare.
2. Proverbium illud: post coenam stabis, vel passus mille meabis, falsum esse, contendo.
3. Aneurysma arteriarum verum, non ex atonia, sed ex inflammatione originem ducit.
4. Ad hydrophobiam praecavendam cura localis curae generali longe praeferenda.
5. Matre sectionem caesaream recusante, non licet foetum adhuc viventem perforatione necare.